

75  
9.  
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

# MEDICINÆ ET CHIRURGIAE PER- PETUO NEXU,

*Quam*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS BRAN-  
DENBURGENSIS HÆREDE,

&c. &c.

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII. ERNESTI STAHL,

MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.

h. c. FACULT. DECANI,

*Dn. Patroni, ac Promotoris*

*sui, omni observantia cultu prosequendi,*

*PRO LICENTIA,*

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia  
DOCTORALIA rite & legitime capessendi,

*Ad diem April. ANNO MDCCV. Horis ante & pomeridianis*

*IN AVDITORIO MAJORI,  
publicæ disquisitioni exponet,*

GEORGIVS GUILHELMVS SCHWEIZER,

Regi Boruss. Exerc. Medicus Castrensis.

HALÆ MAGDEB. Typis Chr. Henckelii, Acad. Typogr.

hirurg.  
08,22

# THE TAXIDIUM.

СИ САДОВНИК  
ИХА ОУТНЯ

ДИЛЯНДИ СОЛЯСИИ МИ

**THE HISTORY OF THE  
CIVIL WAR IN AMERICA**

Revised English Methode

THE MIDDLE EAST AND THE TURKISH QUESTION



## PROOEMIVM.



Etus est, sed sane verissimum Thucydidis effatum:  
αἰδίθεια μὲν θεάστος, λογισμὸς δὲ ὄκνον  
φέρει: Ignorantia quidem indocta audaciam producit, rationalis autem,  
pensatio providam cunctationem. Habemus hujus rei innumera in  
universa vita nostra exempla, insignia vero etiam in arte Medica, ad quam jam pridem,  
tanquam proprium locum referri meruit, par illud latinum effatum: *Quo quis indoctior eo est impudentior.* E  
quo enim alio fonte fluunt, nonsolum imprudentes, sed penitus impudentes subinde, in Medicinam invasiones,  
vix non omnis generis hominum, vel ex ipsa infima  
plebe, & nonsolum illiberalium, sed contemptarum e-  
tiam, artium dicam, an inertiarum sectatoribus. Sæpe  
profecto animum subiit recogitare, e quo fonte & e qua o-  
rigine pullulent hæc damna? neque vero potui ullum  
vero similius invenire, quam persuasionem, partim a-  
ctivam, partim passivam. Activam voco, traditiones  
illas temerarias, quæ magno numero, perpetuis autem  
repetitionibus, ab immemoriali tempore, in hodier-  
num usque diem, venditantur, de ingenti efficacia me-  
dica,

dica, innumerabilem propemodum, partim plane simplicium & obviorum concretorum, partim otiosis atque frivolis quibusdam tractationibus, vulgus ait præparationibus, in aliam quandam faciem transformatorum. Has persuasiones, cum homines, in opinione artis, adeoque autoritate apud plebem, constituti, instruxerint, fieri vix aliter potuit, quin traditiones illorum, tanquam avthenticæ apud imperitum vulgus plenam fidem invenirent. Passiva persuasio facile sequitur hanc modo dictam, dum videlicet quilibet de se ipso hanc fiduciam facile concipit, quod, ut etiam loqui solet vulgus, sua ipsius manustam auspicata atque fausta sit, quam alterius cujuslibet: adeoque si ipse remedium aliquod tota sua energia & efficacia intima bonum, ægroti præscribat aut offerat, ipse certe hac ratione ægrototam bene consulere, & sanitatem ejus restituere possit, quam aliis quilibet. Mirari liceret, nisi notissimus esset credulorum hominum stupor, quomodo & olim factum fit, & hodieque undique fiat, ut visis etiam indies, & propria sua experientia deprehensis exemplis, quod talis remediorum ita celebratorum efficacia, longe frequentius male succedat, quam bene, nihilominus stolidorum hominum animus, cuilibet potius alteri rei, quam vel medicamenti, vel imperiti ejus usus defectui, sinistrum effectum ascribat: rariorem vero bonum, & tarde ac irregulariter subsequentem, ita mordicus, directæ potius medicamenti energiæ tribuant, quam alteri cuiquam agenti, aut alteri manifestæ actioni, exonerationi, excretioni, alio plane modo atque motu adversus morbum salutari. Semel conceptas ejusmodi persuas-

suasiones frivolas, sustentant posthoc & animant aliæ magis civiles, dum primo ingenium humanum minus disciplina exultum, ordinarie pl9 tribuit speciosis phantasiis & fictis conceptibus, breviter mendaciis, quam veritati: adeoque audaces homines, sub specie & spe prorsus arcanæ & plane singularis inventæ aut acquisitæ scientiæ & experientiæ, non solum in sua credulitate fovet, sed subinde majore audacia implet, & ad illam quasi provocat ac instigat. Secundo ipsos tales, dulcis odor lucri è re quavis, & si fas est dicere, ipsa æmulatio, accedit, ut tot ac tantum numerum aliorum nihilomeliorum, his artibus ditescentium, invidiosè aspicientes, nequidem ex agnitiâ sua inscitiâ aliquid remittere in animum inducant, sed magis magisq; ex proposito fallere, & aliorum credulitate suam fidem conservare, quoquo modo laborent. Tales quidē merito abominatur animus quicunq; honestus; merito vero solers quilibet, & nitentis ad ardua virtutis amicus animus, indignatur illis, qui locuplete occasione ad altiora & meliora enitendi potiti, malunt semper in luto hærere, quam ubi solidius pedem figant, & firmo gressu progrediantur, dispicere, imo in illud elaborare. Sane verò Occasio non unam solam rem hic involvit, sed postulat ante omnia ingens illud fundamentum, quod jam olim Hippocrates ad artem medicam feliciter comprehendendam, sollicitè substernendum monuit, τὴν Φύσιν, indolem, & capacitatem, ut vulgo loqvuntur naturalem, seu connatam: quæ proprium quiddam utique est paucioribus, non ita familiariter commune pluribus ne dum omnibus. Familiarius communis est occasio, ejusmodi studiis jam admotum, imo instructum esse, quæ viam

A 3

ad

ad altiora sternant, & aditum patefaciant, quem postea omni meliore studio subire, & adyta sive penetralia totius artis, recte & ordine ingredi sit integrum, simulatque prima illa eximia aptæ indolis dispositio suffragatur. Profecto verò hujus generis occasio locupletissima, est vera atque solide cognita **CHIRURGIA**; prima ab antiquissimis temporibus artis medicæ pars, neque usquam ipsa vel ad leve quoddam decus adspirare, ne dum ascendere compos, nisi cum strictius dictâ Medicina sororias jungat manus, & tām ab hac rectam rationem agendi hauriat atque discat, quam vicissim subinde illi ipsi, strictius inquam dictæ pharmaceuticæ medicinæ, manum porrigat, eique assistat. Enim verò quam indignè agatur cum Chirurgia *verà* atque solida, dum illa ad nudam & crassam prorsus empiriam rejicitur, ut nihil nisi ex nuda formula, & pleraque tamen pharmaceutice, agere jubetur neminem fallit. Ex adverso verò vulgo Medicorum, harum rerum solida cognitio, imo vera scientia & ars, adeo parum curæ est, ut etiam triviale s chirurgi, & imprimis quidem imperitiores, hujus commatis Medicos, aliqua ipsos interpellare non sine fastu indignantur. Poscent hæc incommoda, & perversa illorum origo, latius hinc indicari, sed servamus illud ipsi nostræ tractationi; quandoquidem pro themate dissertationis inauguralis placuit hæc disquisitio, *de Medicina & Chirurgia reciproca necessitudine, & intimo nexu.* Aggrediemur itaque bono cum Deo, potius ipsum deductionis filum, & evolvemus, quam pulchre hæc artes, ut partes unius excellentis systematis, inter se conspirent, & neutra sine altera subsistere, altera verò ad alteram manuducere, imo per-

perpetuo referri & cum illa sociari, possit atque debeat. Invocamus Deum Ter Optimum Maximum supplicibus precibus, ut nobis in hoc negotio condigne exequendo, gratiofa sua directione præsto esse dignetur, ut vera & utilia proferamus.

## TH. I.

**C**HIRURGIÆ nomine, non sola *operatio manualis*, juxta nudum sensum vocabuli, denotari consuevit; ita enim omnis operatio, quæ manibus perficitur, sub hoc nomine comprehendi deberet: sed intelligitur sub hac appellatione *eminenter*, talis manuum operatio, quæ circa subiectum omnium nobilissimum, *corpus & sanitatem*, imo aliquando *vitam hominis*, exerceri debet: & quidem arte, non ita simplici & superficiaria, sed sane multiplici, & numerosi, tam partibus quam respectibus variantibus latissimè patente atque diffusa. Hæc hujus nominis acceptio etiam ita vulgò recepta, & communi cultioris orbis consensu firmata est, ut nusquam, *Chirurgiæ* nomine prolatu, alia intelligatur, quam quæ ad opem & salutem *corporis humani* efficaciter exerceatur. Rectissime vero Medico-Chirurgus excellentissimus *M. A. Severinus*, *Efficacis Medicinæ* nomen Chirurgiæ asseruit; sicut Galenum seculi posteriores interpres, *artis parvæ*, sed in ordine ad *magnam*, reliquam nempe *Medicinam* ita directa appellatione, *Chirurgiam* Medicinæ subjungere quidem sed tamen adjungere, cordi habuerunt.

## TH. II.

Dividitur Chirurgia simplicissimè in *instrumentalem & pharmaceuticam*. Prior tam ipsas manus, quam armatas aliis artificiosis machinis, sub se comprehendit: Posterior, tractat *medicamenta*, conveniente loco atque modo, manibus & instrumentis, *applicanda & illiganda*.

## TH. III.

## TH. III.

Sicut autem ad applicationem tamen manuum quam aliorum instrumentorum, & imprimis debitam & convenientem applicationis hujus proportionem atque directionem, omnino modo requiritur, ut partium quae ita tractari debent, numerus, conformatio, situs, connexio, nota sint: ut nempe directio operationis, secundum has circumstantias recte atque scite instauri possit: ita cum hujus notitiae nullum fontem nisi Anatomiam habeamus, cognitam hanc & satis perspectam esse debere Chirurgo, res ipsa clamat.

## TH. IV.

Plus dico, usum etiam & officium partium non perfunctorie cognitum esse debere ipsi instrumentalis Chirurgiae; ut ita non solum nihil contraria istorum indolem suscipere audeat: sed etiam ingens illud, & utinam toti medicorum Choro condigne aestimatum, momentum temporis intelligere meminerit, quod tum alias, tum imprimis etiam ad spontaneas structurae restitutions, & consolidationes, solenniter à Naturâ adhibetur. Qualia quidem, nisi è Physiologia, & historia Pathologica, campo, frustra metere sperabit,

## TH. V.

Jam cum haec, *Anatomia* inquam & *Physiologia*, immo *historia Pathologica*, ipsa vera fundamenta sint Medicæ doctrinæ; antea oculos cuilibet est, quod locuples hic se offerat occasio, fundamenta theoriae medicæ præcipua, non ita ex parte, quantum absolutè instrumentalis Chirurgie necessitas postulat, sibi familiaria reddendi, sed potius universum hoc negotium, justa sua serie & ordine justo complectendi. Cum præsertim separatum, & quasi frustillatum, his rebus ita operam navare, & de ordinato universo systemate delibare saltem ac decerpere, operosus fere sit & minus promptum, ob justæ connexionis defectum, quam universam rem benè coherentem, recte comprehendere, immo intelligere.

## TH. VI.

## T H. VI.

At verò *pharmaceuticæ Chirurgiæ*, cum *Physiologia*, *Pathologia*, *materiæ medicæ* seriâ notitia, imò reliquæ universalioris *Therapiæ*, motum, affluxum ut vulgo loquuntur, & decubitum, humorum involventis atque respicientis, non contemnenda cognitione, tam necessaria est comparatio atque collatio, ut hisce fulcris destituta, cœca prorsus, imò subinde perversa, quin non ita rarissime stolida sint nominalium *Chirurgorum* deliramenta potius quam tentamina.

## T H. VII.

Quis autem non videt, quod hujus classis *theoria*, notitia inquam *substantiæ* atque *motus humorum*, & relationis eorumdem ad *efficaciam medicamentorum*, anima sit *Medico-pharmaceuticæ* etiam atque *Therapeuticæ* doctrinæ? Et quis non percipit, hanc imprimis occurtere, certè solidam prorsus atque planissimam occasionem, hisce veluti *fragmentis* harum doctrinæ medicæ partium, residuum etiam adjungere & unire, adeoque totum potius, quam male inter se conspirantes divisas partes, comprehendere.

## T H. VIII.

Non potest certè fieri, quin hoc loco excurramus in *historiam*, hodiernorum circà hæc negotia morum. Abundè scimus, & ipsi plebi notum est, quo loco sita sit *trivialis Chirurgia*; qualibus moribus doceatur, colatur, & exerceatur. Utique postquam solennior ejus quæstus, in servitiis ferè collocatur, quæ vix homine libero, nedum arte libera- li digna sint, & famulis potius atque servulis, quantumcunque etiam ad alia ineptis, securè committi possent, quam *Viris ad sanitatem imò vitam* subinde hominum curandam, si- ve verè aptis, sive certè adspirantibus. Notum insuper est quantum dedecoris, imò damni, hoc arti tam salutari inferat,

B

ut

ut illa propterea non solum à plebè contemptius habeatur: Sed etiam ita quorumlibet hominum negotium reputetur, ut vix non otiosior quilibet adolescens huic maximè destinetur.

## TH. IX.

Sicut autem hæc labes non in solâ *parva arte* substitit, sed *magnam* etiam *artem* vulgo hominum leviorem fecit; ita hic *abusus*, justo utique *usui*, imprimis autem *artis* ipsius veræ dignitati, tanto minus detrahit, ut potius hinc justam indignationem, & exadverso *instigationem* & *alacritatem* sibi sumere possint cultiores animi, tam ad aspirandum quam cohortandum, ut *Chirurgiam* quidem ad *Medicæ* artis dignitatem revocent, quibus nobiliorum talium conarium, non magis spes est quam animus capax: servilia interim reliqua, ad ingenia illis rebus paria rejiciant.

## TH. X.

Sane vero, uti per dicta ingens est, promptus, imò proximus aditus, à verâ *Chirurgica theoria* ad ipsam *Medicam* penitus comprehendendam; ita vicissim, indignissimum profectò est reliquâ Medicinâ practicâ, harum rerum, *Chirurgie* veræ atque *solidae*, peritiâ sufficiente destitui. Imò verò, præmonstrat etiam *Chirurgica therapia*, in *restaurazione* atque *consolidatione*, universæ arti Medicæ, quantum intersit *operationes* medicamentorum *directas*, & veram illorum efficaciam; & inter *operationes*, *tempora* atque *momenta Naturæ*; inter *pathemata* læsionum ad *Chirurgiam* respicientium, *directa*, quantitatem nudam aut qualitatem partium & humorum respiciencia: & inter *motum*, *robur* partium, *affluxum*, *effluxum*, *transfutum* atque *refluxum* humorum. Quas profectò res *Medicus Therapeuta* non solum nusquam aliunde commodius comprehendere potest, quam ex ejusmodi *Chirurgicis* casibus: Sed *Chirurgus* etiam, suam curam hic minimè feliciter absolvere,

vere, nisi per *Mediceæ therapiæ*, subsidia nempe variarum sub*justo tempore opportunarum* resolutionum, discussionum, eva-cuationum.

## TH. XI.

Imo verò quemadmodum ingens hinc dilucescit con-spiratio Medicinæ cum Chirurgia, utilitas mutua, & tantus plane nexus, ut *Chirurgiæ solida* cognitio, aditum ad univer-sam Medicinam promptissimum remonstret: *Medicina* vero Chirurgiæ notitia destituta, plena ars appellari non mere-a-tur: ita habet ex adverso *ignota* aut *insufficiens* notitia chirur-gicorum pathematum *pathologiea*, tantum *periculi*, ut inde, nunquam vera discretio status variarum læsionum formari, tanto minus autem veris atque solidis medicationibus, iisdem occurri possit.

## TH. XII.

Res manifesta est, tam in *inflammationum*, quam varia-rum *ulcerationum*, & tandem *sphaceli*, dignotione & curatione. Quæ sanè res, quod haec tenus & *Medicina* crucem fixerit, & *Chirurgiæ* varia incommoda, faciles & varios errores obje-rit, nullo certè labore demonstrari latius posset, si prolix-i-tas, sine quâ deductiones vix condigne absolvi possunt, non metuenda nobis esset.

## TH. XIII.

Sanè vero *assuetudinum* circa *motus* & *evacuationes humo-rum*, veritas, ingens in universa praxi Medica scandalum, & summæ necessitatis theorema, è *Chirurgica experientia*, *Medico-therapeutica* consultationi luculentissimè offertur at-que sistitur: Sine alia verò quam *Chirurgica* ope atque me-thodo, vel planè frustra, vel sanè longè minus feliciter, tentatur atque tractatur: felicissime verò & cognitione hac

& medicatione, inter *Chirurgiam* atque *therapiam* reciprocè distributa.

## TH. XIV.

Testatur autem hanc *Medicinae* & *Chirurgiae* affinitatem, ipsa utique antiquæ *Medicinae* institutio atque constitutio. Certe enim priscæ historiæ consensus adest quod primi quorū nomina ad nos pervenerunt, *Medici*, *Chirurgiam* potius exercuerint, quam reliquam Therapiam. Ita *Chironem*, ita *Æsculapium*, ita *Asclepiadas* cum reliquo, tum ipsos, nisi quidem fabulosi censeantur, *Homericos*, *Chirurgiae* præcipue nomine celeberrimos fuisse, vix quemquam latet. In Græcia quoque reliqua, æque ac deinde Romana urbe, *Medicos* dictos chirugos præcipue fuisse, jam dudum notum est.

## TH. XV.

Iterum ex antiquis medicis famigeratissimum *Galenum*, manu & instrumentis æque atque pharmacis sanitati hominum & vitæ consuluisse, nemo dubitat.

## TH. XVI.

Et quamlibet *Hippocrates*, in juramento discipulos suos adstringat, ne *Chirurgiam lithotomicam* sua manu exercere in se recipiant; laudat tamen etiam hujusmodi operationis peritos, & illis eam non magis concedendam quam committendam, suadet.

## TH. XVII.

Ille quidem in hoc genere laudatissimo confilio. Quia si diceret, non solum ejusmodi operatione, quæ peculiarem enchirisin in artifice, ancipitem autem successum, tam ex indole morbi, quam facili errore patientis involvit, potius abstinere consultius esse, & paucioribus, longiore & velut continuo usu harum rerum peritis illam demandare atque com-

committere : ut ita, sive assiduo labore huic operi melius as-  
sueiant pauciores, ad quos etiam ita ipsa illorum paucitate  
illud veluti perpetuo rediret, & ancipitis eventus forte sini-  
ster successus, potius paucis imò inter paucos paucissimis, im-  
putaretur, quam multorum faciliore imperitia, in totius o-  
perationis & artis latius opprobrium, hominum potius quam  
rei vitio, traheretur.

## TH. XVIII.

Imperat autem pluribus locis Medico, ut *urat* patientes ;  
imo *urat, secet, lib :* de *Hæmorrhoidibus.* Galenus, uti notum,  
totam *artem parvam* docet : *Hippocrates, Mochlicam : vulnerum*  
*curationibus, & ulcerum,* præscribunt uterque & methodos  
hinc inde, & remedia : *Galenus* non solum de usu, sed etiam  
reliqua applicatione *hirudinum, cucurbitularum, venæsectionis,*  
tum hinc inde, tum peculiari libello, ex instituto differit: imo  
idem *Hippocrates*, ubi Medicum monet ut tempestive de mer-  
cede cum patientibus constituat, manifestius manualis ope-  
ræ navatae intuitu hoc facere, satis appetet.

## TH. XIX.

Quod autem allegatum illum locum attinet, nempe in  
*juramento dicto Hippocratis*, videtur potius *Hippocrates* discipu-  
los suos dehortari voluisse, ab illa polypragmosyne, in ipsa  
etiam arte, quam per singularium artificum præsentiam super-  
sedere ipsis liceret. Sicut enim ad recentiora usque tempora,  
in *Ægypto* seruatum illum esse morem, vel adhuc è *Prospere*  
*Alpino* constat, ut ad diuersos morbos diversi instituerentur  
medici, qui nempe *singuli* non *omnes* indifferenter, sed *certos*  
solum morbos, curare nosset: ita nihil abludit, quo minus  
jam ab antiquissimis temporibus, tum ibi, tum apud *Græ-  
cos*, hic mos obtinuerit adeoque ejus intuitu, imprimis in  
affectu & eventu ita *ancipiti, Hippocrates* maluerit, supra citatis  
etiam respectibus, suos discipulos hoc negotium aliis potius

relinquere, quam ipsos hanc aleam, & fortè temere aliquando, subire.

### TH. XX.

Ne nimium prolixius in re forte non ita impedita, sufficit, & allegata hæc argumenta, & quæ plurima adhuc alia, satis commonstrare, quod utique *Chirurgia antiquis medicis* ita cordi fuerit, ut illam non solum intelligere atque docere, sed etiam exercere sui officii duxerint. Interim hodie que nemo prudens Medicus, quamlibet theoriam variarum operationum *Chirurgicarum*, imprimis tamen *sectoriarum*, abunde calleat, temere sese submittet, præcipue promiscuè, illarum administrationi & exercitio: Sed potius ad homines ipsa etiam *enchorisi* exercitatos patientem remittet.

### TH. XXI.

Cum enim ad hæc negotia quæ *manibus* peraguntur, omni modo requiratur etiam sufficiens *exercitatio*, quæ nisi frequentioribus tentaminibus impetrari non potest; imo insuper planè peculiaris *animi præsentia* atque firmitas, quæ non solum promiscue in omnes homines sed præcipue in magis paulò speculabundos (quales ad universum Medicinæ ambitum comprehendendum omnino requiruntur) non indifferenter cadit: præterea patientium, tali generosiore medicatione indigentium, utique non sit tantus numerus, ut magno artificum numero directè sustentando satis facere possit: consultius hinc multis modis & respectibus omnino est, ut peculiares homines hodieque ad has operationes potius adhibeantur, quam multis illas addiscere concedatur ne dum injungatur.

### TH. XXII.

Superfluum forte sit monere, quod ipsa etiam eximia difficultas adhuc subsit in manuum tentaminibus, per initia,  
si non

si non necessario, tamen facillimè profectò erroneis, & partim per imperitiā, partim per promptitudinem deficientem, facile irritis & infelibus. Ubi certè omnino vero similius videtur, posse unum aliquem aut alterum hominem, paucioribus erroribus ad habitum sensim ascendere, quam complures: quorum ut singulorum, pauciores etiam errores, ingenitam tamen numerum collectim constituant & absolvant. Ubi profecto, cum damna è plerisque aliis erroribus, imprimis autem lithotomiā, resultantia, lethifera subinde, aut plurima certe aliâs maximi momenti, communiter autem in integrum irreparabilia sint, tanto certe magis decuit ab his rebus vel juramento interposito arcere: Sicut hodieque certè præstaret, inspectionem circumspectissimam, non solum tentaminibus hujusmodi, sed omnino etiam conaminibus ad tentamina ejusmodi, in se suscipienda, præficere, quâm illis ita liberum veluti campum quidlibet audendi concedere.

## TH. XXIII.

Præscriptum hoc quidem, & transcriptum in omnes Pharmacopoliorum constitutiones, conspicitur, quod Medicus urbicus, quem vulgo Physicum vocant, Operatores ita dictos, lithotomos, herniotomos, ophthalmiatros, antequam ad exercitium artis suæ in illa ditione admittantur, examinare debeat. Sed notum etiam est, quibus problematibus examina illa absolvi vulgo consueverint; nempe productione & inspectione testimoniorum, & audita jaftatione artificum, soluto tandem mediocri honorario. Memini, e-jusmodi operatorem in urbe superioris Lusatiae nobili, Medico harum rerum peritiori, eumque adeo paulo curatius de difficultate harum operationum examinanti, cum oculorum affectionum & catarrhaæ deponendæ, qua arte se imprimis efferebat, varias difficultates ipsi fisteret, tanto magis, cum ipsum anatomiae oculi satis rudem animadvertisseret, tandem

dem hoc responsum retulisse, negari utique non posse, quod primæ harum operationum enchirises, priusquam ad habitum aliquem pertingere liceat, non ita in promptu positæ sint; & adjiciebat nequiter subridens, cum rusticus forte medicum consultaturus ab aliquot passibus adstaret, pileum in manu tenens satis profundum, infra mensuram pilei talis pleni oculorum, minus feliciter a se tentatorum, antequam justam enchirisin assequeretur, utique non periisse &c.

## TH. XXIV.

*Mochlicæ certe universa, tam anatomiae, quam mathematicæ & mechanica ita innititur, ut non solum dignior sit homine magis docto, illius vera cognitio atque moderatio; sed etiam à stupidioribus nunquam certè condignè tractari & absolvi possit, quin erroribus facile subjaceant, imò subinde succumbant.* Loquuntur hoc exempla numerosissima, tum *fracturarum* malè repositarum, & ita ad deformitatem & inutilitatem partis temere consolidatarum: tum imprimis etiam violentissima illa capitis ossis femoris ex orbita sua seu patella excussio, imò evulsio, cuius fallo putata & non perfecta reposicio, non ita rarís exemplis, perpetuam claudicationem, communiter autem adhuc graviora pericula atque damna, ægris inducit.

## TH. XXV.

Tanto magis autem præscriptio & electio medicamentorum commodorum, ad *rumores, inflammationes, vulnera, ulcera, affluxus, repetitos decubitus, antiquorum ulcerum ab assuefacto per diuturnam emanationem decubitu, eonsolidationem, in neminem certè cadit, nisi talem, qui circa anatomiam, physiologiam, historiam pathologicam, tantundem intelligat, quantum, & non amplius in hac parte, à Medico usquam exigi possit aut sperari.*

## TH. XXVI.

Ita enim v. g. in *inflammationibus* profundioribus, in *contusionibus* cum multa extravasatione, & *vibicibus*, in *vulneribus* cum *laceratione*, *gravi contusione*, *ardore*, & hinc subnato copioso *infarctu inflammatorio*, quis à nuda *empiria* operariorum manualium expectet, ne inde; jam *deligationibus* nimium adstrictis, jam *formulis* humidis nimium, jam præter rem *acribus*, jam intempestivè & præpostorè *refrigerantibus*, *coagulantibus*, jam insufficiente *abstersione* & *evacuatione*, *Sphacelosæ* prorsus corruptiones, imo *vitæ periculum*, cooriantur. Quis *Erysipelatodem*, imo potius *phlegmonodem*, artuum imprimis inferiorum *inflammationem*, quæ vel à longâ assuetudine repallulat, vel prorsus *apostasi acuta* in artum irrumpit, temere committat homini non abunde gnaro, quantum *refrigerando*, *humectando*, *emolliendo* & *relaxando*, aut contra intempestive atque temere *adstringendo*, adeoque affluxum talem cito *repellendo*, tum artui, tum universo systemati corporis, temere inferatur periculi. Quæ certe scandala ut solide evitet, nihilo minus scire aut intelligere hic debet *Chirurgus*, quam ipse *Medicus*.

Imo, stolidæ illæ *stricture* partium, à peculiari aliquo *defluxu rheumatode* tumentium, quibus ejusmodi tumorem non solum suspendere atque morari, sed etiam repellere & quadam tenus dissipare, in animum inducit imperitissima hominum inscitia, jam olim a Paracelso meritissimo jure reprobata, von der Impostur mit den Rollbinden / ut nemini dilucescere possunt, nisi profundiorem harum rerum originem atque theoriam intelligenti: ita in hac quoque parte certe *medica pathologia* & *methodo medendi* unicæ lucem præferre debent, ne tentamina illa, consensu maleferiatorum hominum magni fieri solita, ultra paucissimos casus, & prudentissimum usum extendendo, arti opprobrio sint, & patientib⁹ maximo damno.

( 18 )  
TH. XXVIII.

Innumeri autem tales, sed & maxime sotici occur-  
runt horum generum affectus, ubi non solum in externa  
*Chirurgico-topica* medicatione, nullum sit subsidium, sine in-  
terna: sed etiam nocumentum potius inferatur, si illa sine  
hac applicetur. Quis autem talia sine intellectu conspirati-  
onis *motus*, & ut loquuntur, *decubitus* humorum, agnitione  
*causæ antecedentis*, dijudicatione *tempestivæ præservativæ* subdu-  
ctionis, & *ordinis* in his rebus servandi, in se suscipiat, vel  
speret feliciter tractare? Profecto, neque Chirurgus hic si-  
ne Medicina, neque Medicus sine Chirurgia patienti pro-  
derit: neuter, inquam, sine sufficiente intellectu operatio-  
nis & efficaciæ, ab alterius officina petendæ.

TH. XXIX.

Videas quidem harum rerum apparatus, & audias dis-  
putationes sive perorationes, etiam in *trivialibus* balneatorum  
& tonsorum officinis. Meminerunt, a Magistris suis audi-  
visse, quod interdum *Venæ sectione* concurrente opus sit; in-  
terdum *purgatione*: aliquando *sudatione*: aliquando *potione*  
*vulneraria*: aliquando *Julepo refrigerante*: aliquando *decocto ner-  
vino* atque *roborante*: aliquando *sacculo* aut *epithemate* discuti-  
ente, resolvente; subinde *defensivis*: *balsamicis*: *putredinem*  
*præoccupantibus*: immoderatos ardores, & impendentem  
*gangrenam*, restinguentibus (die *Hizé* / den heißen Brand / zu-  
löschchen: ) sed vix inter centum sit unus, qui hic solidi quid-  
quam intelligat, sed Andabatarum instar in tenebris luete-  
tur: utique postquam circa hoc negotium, etiam in mul-  
tos longe altiora sapere sibi aliisque hic visos, quadrat illud:  
*Vudit Alcor, sed non lunam plenam.*

TH. XXX.

Profecto vero hanc inter *Medicam* & *Chirurgicam* ne-  
cessariam, conspirantem, & communicantem Scientiam,

at-

atque Experientiam, jam dudum ante oculos habuisse videntur, sub assensu imprimis prudentium medicorum summi Magistratus, qui tum terrestribus, tum maritimis seu navalibus suis copiis, homines præfecerunt, professione quidem sua quasi primaria Chirurgos, interim iisdem etiam penum pharmaceuticam ita commiserunt, ut consilio suo, atque dispensatione horum medicamentorum, non in Chirurgicis solum casibus, sed *morbis* etiam variis, communiter quidem ob *contagiosam malignitatem* fonticis, patientibus consulant atque subveniant.

### TH. XXXI.

Profecto, non ita omni fundamento destituta esse potest hæc institutio, quin superstructa esse debeat, insigni illi con spirationi *Chirurgiæ* atque *Medicinae*; ita, ut *Chirurgum*, rerum bene gnarum atque peritum, fas sit supponere, ipsius etiam *Medicinae* praxi non imparem aut inidoneum futurum.

### TH. XXXII.

Non hoc injuria, si omnia fiant ordine ac decenter. Ut nempe multipli peritia æque, atque institutione doctâ, bene instructis & exercitatis viris hoc officium committatur: Unde etiam solennius *legionariis* solum, aut *prætorianis*, Regiments- und Stabs-Feldscherern / hæc cura committitur. Quando vero adolescentulis, vix ab officina tonsoria emissis, sub nullius peritioris ductu, harum rerum temerè concreditur cura, qui neque peritia ulla, nec industriâ instructi, cœco impetu hic summa infimis confundunt, quid inde sive in præfens, sive in futurum, commodi sperare liceat, facile est divinari, & docet illud multiplex experientia.

### TH. XXXIII.

Supereft, ut *prærogativam* mutuæ con spirationis *Chirurgiæ* atque *Medicinae*, *præpharmacopoëtica*, breviter inspiciamus.

C 2

Cer-

Certe, quam sterilis sit vulgata illa perswasio, quasi evidens aliqua ratio reddi posset, *materialis texturæ*, aut cujuscunque *convenientiæ*, medicamentorum cum morbis, à priori, piget latius deducere. Perpetuae illæ petitiones principii quæ in hoc genere committuntur, notiores sunt attendentibus, quam ut dígito intento commonstrari postulent. A posteriori verò, nullam occasionem habet *pharmacopæus*, inquirendi in veras circumstantias *speciei*, *indolis*, *temporis*, *gradus*, morborum; diversitatis vel etiam *convenientiæ* *subjectorum*: *modum*, *tempus*, *ordinem*, *subordinationem*, applicationis: nedum in verum *habitum* corporis ut *sani*, aut *agri*. Nihil, inquam, horum omnium rationaliter vel colligere vel intelligere valet, sed omnia hæc nudè empirice, informando sese de eo quod factum esse audiverit. Nullam habet hujus rei ita factæ comparationem, aut quameunque aliam circumstantiarum, *connexionem*, sive cum morbi, sive medicamenti modo, ut loqvuntur, sive essendi sive fiendi: Unde nullus ibi nexus, nulla rationalis comparatio, nulla sive *physiologie*, sive *pathologie*, minimè omnium *anatomiae*, nulla *methodi medendi*, comparatio aut applicatio. Profectò, si quid harum rerum *pharmacopæus* discere proponat animo, non nisi ex instituto, nulla prorsus reliquæ suæ profesionis occasione, suscipere hoc potest aut exequi.

## TH. XXXIV.

Pariter Medicina cum *pharmaceutica* adeo nullam hic habet conspirationem, ut Medicus è *pharmacopolio* nihil nisi nudam auxilioruin *materiam* petere possit; *modum* vero utendi, *tempus*, simultaneas aut distributas *doses*, *ordinem* exhibendi, mutuam *subordinationem*, e quolibet potius alio fonte, imprimis autem *pathologico* vero atque solido, haurire debeat, cum *pharmaceutica* ne quidem per somnium quicquam huc referri, nedum conferre, apta sit.

TH.

## TH. XXXV.

Illud quod ex universa hac nostra consideratione , tandem in verum aliquem usum colligere licet , est , quod Chirurgus *bonus* atque *doctè peritus* esse non possit , qui non pleraque ad Medicam *Theoriam* sive Scientiam pertinentia , certe ad minimum *fundamenta* solida , rectissimè cognita habeat . Ausim determinare , quod ad universam artem medicam re- etissime percipiendam atque comprehendendam , nihil ipsi deesse possit , nisi aliquanto exactior *materie medice* notitia , & quorundam morborum , magis directe ab *humorum* potius , quam partium vitiis pendentium , vera historia : cuius deinde ætiologiam , juxta methodum in multiplici *chirurgica pathologia* ipsi competentem , & *physiologicas* , omnino ipsi jam ante cognoscendas , *theorias* , quasi sponte formare , aut sane lectas quam promptissime conciliare , examinare , approbare poterit : imo vero , cum propria ipsius , ut *Chirurgi* , praxis , non in *speculationibus* subsistat , sed semper ad exercitium & *operationem* directe pergere necesse habeat : erit ille tanto promptior , ad has etiam *medicas* ætiologias atque *theorias* , ad usum & exercitium transferendas , adeoque verum successum , atque eventum *theoriarum* cum effectibus , ipso experimen- to examinandum atque confirmandum .

## TH. XXXVI.

Interim iterum iterumque tenenda utique est illa con- ditio , quam undique & undique hic supposuimus , ut videlicet Chirurgus , quem nos hic volumus , rerum suarum vere gnarus atque peritus sit , & ad intellectum sive rationes suarum operationum , non autem ad solam illarum *enchoris* , adeoque puram atque nudam *experientiam* , inten- tus . Alias enim tam parum utique a sua experientia hauriet et commodi ad rationem etiam suarum solum , vel simplicis- simarum hinc inde , operationum concipiendam , ut tanto

C ;

mi-

minus ad reliquum medicæ doctrinæ systema hinc adspirare, unquam in animum inducere possit.

## TH. XXXVII.

Quemadmodum autem hac ratione *Chirurgiae* sanæ *nexus* cum reliqua *Medicina*, sic satis, ut speramus, dilucescere potest, ita reciproce, *Medicinae* cum *Chirurgia* conspiratio profecto nullo modo contemni debet aut insuper haberi. Habet hic aliquam *prærogativam* *Chirurgia* *præ Medicina*, dum hujus theoriam e communi fundamento, *anatomia* & *physiologia* haurire atque animo imprimere potest: ita ut Medicus nihilo plus hic possit aut habeat, quam *Chirurgus*. E contra *Medicus* enchirises operationum, e reliqua certe *Medicina*, aut qualibet alia doctrinæ istius parte, minime haurire valeat aut invenire. Unde & ipse Medicus, si quis reliqua doctrina instructissimus, *Chirurgicam praxin* quoque comprehendere velit, nullum ex universa illa hic habebit subsidium, sed directe ex officina aut palæstra *Chirurgica* illam arcessere, & manuales operationes, manuum exercitio, *præeunte* oculari inspectione, discere necesse erit.

## TH. XXXVIII.

Omnino verò, quemadmodum *Chirurgo*, ad universam reliquam *Medicinam* penitus comprehendendam, parum superest, quod non *fundamentis* & reliquis deductionibus, quibus ipsum instructum esse omnino convenit, partim innitatur, partim respondeat; adeoque æquum censeamus, verè eruditum atque peritum *Chirurgum*, potius ad fastigium totius artis adniti: quamvis sine illo nihilominus *Chirurgiam seorsim*, rectè atque ordine, commodè atque utiliter, cum laude exercere valeat: ita ex adverso Medicus, tantum abest, ut salvâ suâ conscientia, & ordinem & rationem *Chirurgiæ*, etiam *instrumentalis*, ignorare possit aut insuper habere, ut potius

us, ob quam plurima damna ex hujus vulgo imperita administratione in corpus humanum redundantia, & non solum illam chirurgicam operationem frustrantia, sed insuper aliis etiam directe Medicis laesionibus atque vitiis patientem exponentia, omnimodo doctus sit, quomodo, & quam ob rem, haec illo modo fieri conveniat; si secus fiat, nocere eveniat: & quomodo, vel nova peritior Chirurgia, vel subordinata Medica therapia, illis iterum, recte, atque ordine seu methodo, subveniat.

## TH. XXXIX.

Breviter, Chirurgum profecto non solum longè plurima Medica, sed fundamentalia prorsus, immo generalia fundamenta in universum, perspecta atque cognita habere, necessarium est. Medicum omnia chirurgica intelligere decet, licet non omnia, quae ad manuum imprimis exercitium spectant exercere adsuetus sit & satis peritus.

## TH. XC.

Minime omnium autem excusari potest Medicus, à necessitate chirurgicæ pharmacie intelligendæ. Cum enim ordinatio illorum remediorum etiam ex se & sua naturâ planè diversa sit à manuali applicatione: & sicuti haec, strictissime loquendo, proprie ad Chirurgiam, ista vero magis directe ad Medicinam pertinet: ita incumbit illa profecto tanto uberiorius atque justius Medico, ita ut illam insuper habere, aut ad Chirurgos rejicere, tanquam à suo foro alienam, minime ipsi liceat.

## TH. XCI.

Frustra verò est argutari, quod illa, quam pharmaciam Chirurgicam appellamus, chirurgis potius deneganda sit, & Medicis in solidum vindicanda, non relinquendo Chirurgis, nisi solam remediorum applicationem, adeoque consilii atque

OR-

ordinationis Medicorum , ministerium & executionem. Primò enim absurdum hoc est politice , nec unquam in effetum deducetur , ut *vetulæ , opiliones , carnifex , vagabundi & plane ignoti nebulones , nedum balneatores , tonsores , pharmacopæi , imò nefas , nomine suo digni Chirurgi*, à medicamentorum topica ordinatione in solidum arceantur. Deinde nefas profectò hoc esset , quasi suscepto ad Genitam Manam voto , *ne quis probus nasceretur , deteriores potius velle , quibus locuples ad meliorem frugem occasio suppetit , quām ut ad illam capessendam , illaque fruendum animentur.*

## TH. XLII.

Tunc verò justissimam censemus à priori , & factu quoque facilem à posteriori , hanc prætensionem , ut *Chirurgi etiam , æque atque pharmacopæi , strictissimè intra cancellos atque præscriptos limites suæ professionis sese contineant , quando Medicos suæ artis supra exceptionem peritos omnes esse , nec alios multis etiam Chirurgis minus peritos , inveniri , tempestulerit.* Interim autem dum illa nobis felicia illucescant tempora , à quibus huc usque plus uno stadio absimus , illa potius optabimus , quæ *æquitati atque publicis commodis consentanea , impetrari posse , aut certe non desperari , rationi sit similius.*



Chir 108. 22